



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 94. Albertus Austriacus Hungariæ & Bohemiæ Rex coronatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.

A. C. 1438.

titudinem nil nisi corpora deesse, affirmabat. Hæc opinionum diversitas in animorum aversionem peperit, nec ab illo temporis articulo ad negotia communem contulerunt operam, nec inter eos voluntatum unio ultra fuit. Paulatim privatæ hæc Sessiones in jurgia, ac contentiones degenerarunt, & mense Julio ad finem vergente ab ejusmodi conventibus omnino cessatum, nequidem articulo de Purgatorio penitus deciso; de ceteris enim nihil omnino actum est. Ne ex actis Conciliorum alia memoratu digna pertractata fuisse constat usque ad octavam Octobris diem, ad quam Spondanus primam Sessionem revocat, quæ enim nona Aprilis acta fuere, non tam Synodi sessionem, quam illius indictionem fuisse existimat. Igitur intermedium hoc tempus ceteris, quæ ad Historiam nostram pertinent, eventibus ordinis suo recensendis dabimus.

*Spond. ad
ad an. 1438.
n. 14.*

§. XCIV.

*Albertus Austriacus Rex Hungariæ,
& Bohemiæ coronatus.*

Naucler. gener. 48. p. 456 Albertus Austriæ Dux, Sigismundi Imperatoris gener, justis defuncto Regi
Æn. Sylv. Hist. Boh. 55. persolutis, cum conjuge sua Elifabetha
Cochlæ. lib. 9 die prima Januarii in Alba regali summo omnium applausu Hungariæ Rex coronatur.

natur, qui idem continuata felicitatis serie sexta die Maji Pragæ Rex Bohemorum salutatus, & die vigesima nona Junii solemnī pompa regio diademate redimitur, frustra nonnullis obsistentibus, qui auctoritate & armorum potentia freti, Casimirum Regis Poloniæ fratrem, non nisi tredecim annos natum, Regem appellabant. Inde tamen novi belli fomes; quippe Rochisana, ciendis tumultibus assuetus pacisque impatiens Bohemorum exercitum instruxit, eique Petarsconem præfecit, unacum Poggiebracio, qui copias suas Polonis junxerat. Albertus, cum Sigismundum Prædecessorem suum armorum potentia superaret, utpote Austriacorum quoque ditioribus auctus, tanta vi in Bohemos & quatuordecim Polonorum millia in auxilium submissa irruit, ut castris suis exutos omnibus urbibus, quæ factiosorum partes sequebantur, expulerit, & ad urbem Thabor sub tormentorum præsidio fugere compulerit. Tandem vero Poloni, cum prælii discrimen subire recusarent, fame premente castris dilapsi sunt. Bohemi quoque, utpote soli resistendo impares, deditioem fecerunt; Qua re percepta tam Eugenius, quam Basileensis Synodi Patres toti in eo erant, ut Poloni inducias paciscerentur, seque junctis cum Cæsareo exercitu viribus Turcarum progressibus op-

Sæcul. XV.
A.C. 1428.

ponerent, eoquod illi jamjam Hungariæ fines invasissent, & ferro, flammaque omnia depopularentur.

§. XCV.

Albertus in Romanorum Regem electus.

*Æn. Sylv.
Hist Boh.
c. 55.
Dubrav. l. 28*

Interea S. R. Imperii Electores Francofordiæ verni jejunii tempore comitia agebant, atque eundem quoque Albertum communibus suffragiis in Regem Romanorum cooptabant. Verum obstare videbatur juramentum, quo se Imperatoriam dignitatem etiam sponte sibi oblatam non acceptaturum Hungariæ Magnatibus sponderat. Hi enim Albertum ad ejusmodi jusjurandum compellebant, cum crederent, regnum Hungariæ Turcarum invasionibus ideo potissimum vastatum fuisse, quod Sigismundus, utpote Romanorum Rex, regno absens, simul Germaniæ imperium, atque Hungariæ Regnum armis tueri non potuisset. Quapropter hac juramenti religione futuris ejusmodi malis providere necessarium ducebant. Nihilominus Electores non minori solertia, quam meliori fortuna, Friderici Austriæ Ducis tunc adolescentis opera usi sunt, ut illius precibus victi assensum dederint Hungari, & Albertus hoc nomine secundus

summa